nę naturę & substantię non negaris; Si enim in eo est uestrę
disputationis ratio . quod ingenitus & genitus non pos
sint esse unius naturę . ergo quia [qui] non est genitus .
cum eo qui non est genitus . unius naturę atque substan
tię est; Et si ideo putamus patrem maiorem esse . quia ge
nitus non est . numquid & spiritus sanctus maior est filio ?
Multa possunt & innumera exempla suppetere .
ut de eo quod genitum non sit . dicatur ingenitum; Nam
& mundum plerique ingenitum esse dixerunt . & mate
riam rerum omnium . quam greci ylen dicunt . quasi sil
uam materialem . ingenitam esse [i. ingenitus] memorarunt;
Uident igitur . in hoc verbo praerogatiuam quandam
potestatis esse non posse; nisi forte hoc verbo sibi ho
norare deum uidentur . quo philosophi mundum puta
uerunt esse donandum; Numquid ergo sic ingenitus
pater . sicut mundus ? absit; Aut hic solus deum decet
sermo . cum deus ultra sermonum omnium sit ambitum;
Nihil igitur pretiosum deo . in eo sermone . qui com
munis posset esse cum ceteris; Sed tamen quemadmodum
uultis aestimabilis sit huius prerogatiua sermonis .
quę non auctoritate aliqua designatur . sed uestro